

christianis tempore belli merces deferre in terras saracenorum. *Capp. 11. et 12. h. t.* Unde ex sensu contrario tempore pacis commercium inter christianos et saracenos prohibitum non erat. Ex iisdem capitibus infertur tempore belli christianos nec potuisse ingenio, consilio, vel aliis subsidiis præsto esse saracenis. Merito autem gravissimæ poenæ contra transgressores statutæ sunt et observatæ in Ecclesia, quia christiani operam ferentes saracenis etiam solummodo sub spe lucri, proditores erant religionis. Immutatis vero temporibus saraceni considerantur tamquam reliqui pagani, quos Ecclesia ceu errantes patienter tolerat.

TITULUS VII.

De Hæreticis.

1. Hæresis a Sancto Thoma definitur 'Error hominis baptizati, in intellectu voluntarius contra aliquem articulum fidei cum pertinacia conjunctus'. Dicitur hominis baptizati, quia consideramus hæresim ceu crimen ab Ecclesia puniendum. 'Quid autem mihi, ajebat Paulus, de iis qui foris sunt judicare?' Quare catechumeni et qui nondum baptismum susceperunt esse nequeunt proprie hæretici, qui ab Ecclesia puniantur.

Dicitur 'intellectu' quia actio externa, vel dictum per se hæresim non constituunt nisi in quantum revelant falsum iudicium mentis.

Error autem debet esse 'voluntarius' seu deliberatus. Et quidem hæreticus est non solum qui contradicit alicui articulo fidei eum reputans falsum, sed etiam ille hæreticus est, qui dubitat positive de veritate articuli ab Ecclesia propositi. Hinc in cap. 1. h. t. dicitur absolute 'Dubius in fide infidelis est'. Consonat cap. 1. 'De Summa Trinit.' et *Clem. 1. eod. § 'Porro'*. Et merito, nam infallibile magisterium Ecclesiæ est principium certitudinis in Doctrina, quæ dicitur certitudo fidei. Jamvero certitudini non solum adversatur negatio, sed etiam dubitatio.

2. Tandem elementum hæresis et quidem principale est 'pertinacia' idest contumacia. Cap. 2. 'De Summa Trinit.' Scilicet requiritur deliberata voluntas, qua quis licet sciat se aliter sentire ac sentit Ecclesia, nihilominus persistere vult in sua sententia, et suum iudicium præfert Ecclesiæ. Quare ad hæresim constituendam non requiritur ut quis animi contentione et acriter errorem reti-

neat et propugnet; sed sufficit ut quis aliter sentiat quam sentire Ecclesiam sciat in articulo sibi sufficienter proposito. Hinc qui docet errorem paratus tamen sese subicere iudicio Ecclesiæ, hæreticus non est. *Can. 29. c. 14. q. 3.*

Quotuplex sit hæresis.

3. 1^o. Alia est *materialis*, alia *formalis*. Materialiter hæreticus est, qui sentit alia ratione, quam sentiat Ecclesia; sed absque contumacia. Hinc error in hæresi materiali non procedit ex malo animo, sed vel ex simplicitate, vel ex deceptione et fraude alterius, aut ex defectu debitæ inquisitionis in rei veritate agnoscenda. Hujus generis sunt plerique, qui vivunt in sectis ab Ecclesia Romana separatis. Formalis autem hæreticus est, qui in pertinacia erroris versatur, sciens se veræ Christi Ecclesiæ adversari. Formalis autem dicitur, quia crimini hæreseos veram formam dat contumacia erroris.

4. Hæresis formalis alia est *interna*, alia est *externa*. Externa est, quæ vel verbis vel aliquo alio signo externo manifestatur sufficienter. Interna seu mentalis hæresis est, quæ animo continetur, nec verbis vel facto aliquo proditur. Interna hæresis non incidit sub poenis ecclesiasticis, quia Ecclesia in foro externo, de internis non iudicat. *Can. 14. 'De Pœnit.' Distinct. 1. et capp. 33. et 34. 'De simonia'*; et proinde interna hæresis nec proprie dictum crimen constituit.

5. Externa hæresis, quæ vere crimen est et poenis ecclesiasticis plectitur, subdividitur in *occultam*, et *publicam* seu *manifestam*. Hæresis occulta illa dicitur, quæ licet aliquo verbo, vel alio signo externo se prodatur, tamen communitati non innotescit, et per consequens non potest in iudicium pertrahi. Ex. gr. si quis uno solum teste, vel etiam nullo teste, errorem contra fidem cum pertinacia panderet, poenas incurreret (*Reiffenst. h. t. n. 16. Pirrhing. h. t. n. 17.*), dummodo hæresis manifestetur verbis, vel signis, quæ suapte natura vel juxta communem sentiendi modum sufficienter ad animi consilium pandendum; nam hæresis in hac hypothesi constituit crimen externum; quod autem ab aliis non audiatur vel non videatur, id contingit, ut dici solet, per accidens. — Manifesta est hæresis, quæ potest ad forum externum traduci et juridice probari. — Ecclesia potest punire hæresim etiam solum occultam, quia hæreticus occultus ponit factum externum, quod cadit sub

potestate Ecclesiæ, etsi desint testes legitimi, hoc est, uti diximus, per accidens; quia factum per se sufficiens est ut cognoscatur et probetur. Quoniam vero procedi non potest mediis et via ordinaria a Prælati contra hæreticum occultum, hæresis occulta facta est crimen reservatum Romano Pontifici.

6. Ex agendi ratione societatis civilis alia divisio hæreticorum inducta est, ut aliæ essent hæreses *toleratæ*, aliæ autem *non toleratæ*. Hæreticis toleratis conceditur facultas habendi domicilium inter catholicos, et suæ Religionis exercitium. Non toleratis vel utrumque denegatur vel saltem secundum.

Hæc divisio hæresum primum cœpit fieri in Germania post exortam pseudo-reformationem Lutheri. Visum enim est quasdam hæreses propter absentiam timoris politicæ perturbationis, posse tolerari, non vero alias ob rationes contrarias. At coram Ecclesia omnes hæreses in earum conceptu sunt æquales.

De pœnis contra hæreticos statutis.

7. Pœnæ ecclesiasticæ statutæ sunt contra hæresim externam et formalem. Hinc pœnæ ecclesiasticæ non afficiunt hæresim sive materialem, sive internam formalem. Porro ad impediendum incomparabile damnum ex hæresi derivans, Ecclesia alias personas subjici voluit pœnis, præter illos, qui formalem hæresim profiterentur. Ii sunt 1^o. *credentes*, scilicet qui adhærent falsæ doctrinæ hæreticorum, quamvis ad sectam hæreticam non pertineant. 2^o. *Receptores*, idest illi, qui hospitio hæreticos fugientes recipiunt, eosque in tuto ponere student, ne a iudicibus comprehendantur et sententia subjiciantur. 3^o. *Defensores*, nempe illi, qui hæreticorum errores, vel eorum personas in iudicio ob causam hæresis, vel extra iudicium tuentur, vel commendant et protegunt. 4^o. *Fautores*, ii nempe, qui hæreticis qua talibus prosunt et favent vel positive aliquid faciendo, vel negative omittendo illud facere, quod ratione officii facere debuissent. Animadvertimus receptores, defensores et fautores hæreticorum, pœnis ecclesiasticis subjici licet non habeant formalem intentionem operam suam præstandi, vel ab officio abstinendi præcise propter hæresim, sed potius ob amicitiam, commiserationem, vel sanguinis propinquitatem. Nam non attenditur causa et motivum agentis, sed ipsa actio attenditur, quæ per se et scienter ab agente dirigitur ad protegendam hæresim et hæretici delinquentis personam.

8. Hisce positis pœnæ contra crimen hæresis statutæ aliæ sunt *spirituales*, aliæ *temporales*. Temporales quidem quia hæresis iudice et historice merito considerata fuit in publica legislatione anteaetorum temporum ceu crimen politicum et civili societati maxime perniciosum. Iudice quidem quia antequam hæreticæ societates in media Europa catholica constituerentur, qui hæretici fiebant censebantur ex propria malitia errorem amplecti, et semina jacere discidorum in materia religionis, quæ elementum est sane maximum publicæ tranquillitatis. Hinc malitia hæreseos anteaetorum temporum diversa erat a malitia hodiernæ ætatis, in qua errantes nascuntur in hæresi, et possunt facile in bona fide versari. Hinc nil mirum si graviores pœnæ etiam afflictivæ fuerint contra hæreticos constitutæ. Historice etiam quia facta quibus publicus ordo ab hæreticis turbabatur non erant infrequentia. Hinc principes sæculares considerabant hæreticos ceu perturbatores societatis.

9. *P. De pœnis spiritualibus.* 1^o. Sive hæretici, sive ipsorum receptores, defensores et fautores, ipso facto incurrunt excommunicationem majorem Romano Pontifici reservatam. *Capp. 8. 9. et 13. h. t. et Bulla 'Cœnæ'*. Pœna hæc renovata est in Constit. *'Apostolicæ Sedis' sub n. 1.* excommunicationum latæ sententiæ et speciali modo Romano Pontifici reservatarum ubi legitur 'omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectæ existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores ac generaliter quoscumque illorum defensores'.

10. 2^o. Irregularitatis pœnam incurrunt notorii hæretici eorumque receptores etc.; qua nec novos ordines suscipere valeant, nec susceptos exercere possint. *Capp. 2. et 15. h. t. in VI.* Dixi 'notorii' quia irregularitas videtur contrahi ob infamiam adnexam hæresi, quam infamiam non subit occultus hæreticus.

11. 3^o. Contra eosdem militat inhabilitas ad possidenda quæcumque beneficia, dignitates, et officia ecclesiastica, uti *capp. 2. et 15. h. t. in VI.* Utraque pœna irregularitatis et inhabilitatis afficit hæreticum etiam post conversionem et retractationem, quia irregularitas et inhabilitas semel ac contrahantur, semper personam ligant quoadusque non superveniat absolutio, seu relaxatio. Immo eadem pœnæ irregularitatis et inhabilitatis afficiunt etiam liberos hæreticorum, et credentium, receptorum, defensorum

et fautorum, si eorum parentes in contumacia demoriantur. Et quidem in linea paterna hisce pœnis afficiuntur, liberi usque ad secundum gradum, in materna linea usque ad primum tantum. Censentur enim filii referre maculam et suspicionem nequitiae parentum suorum. *Cap. 2. § 'Hæretici' h. t. in VI, et cap. 15. eod. in VI.*

12. 4^o. Qui labuntur in hæresim et eorum receptores, defensores etc. beneficiis et officiis quæ actu possident privantur. *Cap. 9. h. t. et cap. 12. h. t. in VI.* Hinc privantur etiam jurisdictione spirituali.

13. 5^o. Ipsos lapsos in hæresim eorumque receptores etc. afficit privatio sepulturæ ecclesiasticæ. *Cap. 8. h. t. et cap. 2. eod. in VI.* Qui vero hæreticum, aut receptorem, defensorem, vel fautorem scienter in loco sacro sepelierit, jure antiquo incurreret excommunicationem, nec poterat absolvi nisi propriis manibus et publice cadaver exhumasset. *Cit. loc. juris, et præsertim initio cap. 2. h. t. in VI.* Verum hæc dispositio passa est correctionem in Constit. '*Apostolica Sedis*' in qua inter excommunicationes latæ sententiæ nemini reservatas sub n. 1. legitur excommunicari 'Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios, aut nominatim excommunicatos aut interdictos'.

14. *II^o. De pœnis temporalibus.* Pœnæ temporales contra hæreticos, receptores, fautores et defensores plures sunt.

1^o. Infamia ipso jure incurrenda post sententiam declaratoriam criminis.

2^o. Privatio factionis testamenti activæ et passivæ.

3^o. Inhabilitas ad actus legitimos ponendos. Hinc in judicio hæreticus, nec judex, nec testis esse posset.

4^o. Publicatio bonorum.

5^o. Amissio patriæ potestatis et cujuscumque privilegii in societate.

6^o. Liberatio subditorum a vinculo et obligatione obedientiæ erga summum civilem imperantem.

7^o. Etiam pœna capitis hæreticis infligi poterat. Cfr. possunt *capp. 9. 13. 10. 11. et ult. h. t.; et capp. 28. 14. et 19. eod. in VI.* in quibus canonica legislatio jus commune recognovit et roboravit, quod præsertim in jure civili romanorum continebatur. Ad rem faciunt etiam hac in re leges 4. 5. et 8. *Cod. h. t.*

At ex communibus concessionibus factis hæreticis in variis regnis, necnon circumstantiis mutatis, pœnæ hæ civiles non amplius in usu sunt receptæ.

15. Quoniam inter pœnas contra hæreticos solutio a juramento fidelitatis et subjectionis de qua in *cap. 13. h. t. § 'Moneantur'* præ aliis pœnis offendit aures aulicorum, qui totis viribus, propugnantes jura principum, agendi Ecclesiæ rationem incriminantur, hinc aliquid de ista pœna dicere juverit.*)

16. Circa agendi rationem Ecclesiæ media ætate erga principes hæreticos, vel suspectos de hæresi, vel hostes Ecclesiæ, ad eam defendendam duplex sententia a Doctoribus proposita est.

Sunt aliqui qui tuentur Ecclesiam jus habere *proprium* et *nativum* absolvendi fideles a vinculo obligationis erga principem sive hæreticum, sive schismaticum. Rationes autem hujus sententiæ hæ sunt.

1^o. Relatio subjectionis inter subditum et christianum principem induit naturam jurisjurandi quo subditi christiani erga principem ligantur. Jamvero Ecclesia est, quæ cum res sacras moderetur, constituta est tamquam judex legitimus, qui videat utrum necne perseveret vis obligationis religionis subditorum erga principem. Ergo Ecclesia jure suo potest declarare obligationem subditorum cessasse.

17. 2^o. Loquimur de societate christiana, hinc quæstio a nobis proposita juxta principia Evangelii est resolvenda. Jamvero juxta celebrem Christi sententiam: 'Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur bonum spirituale prævalet natura sua bono temporali, et per consequens bonum temporale debet esse subordinatum bono spirituali. Quapropter Princeps laicus qui curat bonum temporale, qua christianus est nequit adversari bono fidei, et bono Ecclesiæ, et per consequens si fiat hæreticus princeps laicus qui antea erat christianus, per injuriam occupat potestatem, quæ subordinata esse debet potestati ecclesiasticæ, cujus objectum est nobilius et magis prævalens. Hinc princeps christianus qui fiat hæreticus vel schismaticus indignus prorsus censetur regio diademate christiano. Ecclesia autem est quæ judicat quandonam hæc indignitas verifi-

*) Speciatim quoad depositionem Imperatoris, vide Cavagnis, Jus publ. eccles. lib. III, n. 165 et sqq.

cetur. Non enim hoc iudicium hujus rei remitti debet arbitrio singulorum.

18. Confirmatur hæc ratio ex dote infallibilitatis, qua Christus in doctrinis de rebus fidei et morum decernendis, munitam voluit Ecclesiam suam, ex qua dote Ecclesia absque periculo errandi decernit quodnam sit verum bonum temporale assequendum. Hinc Ecclesia est, quæ ex missione Christi Domini determinat inter christianos viam veritatis et justitiæ, et per consequens etiam in quæstionibus particularibus juridice Ecclesiæ iudicium est præferendum cuicumque alteri humano iudicio. Quare factum est ut in quæstionibus inter principes et subditos receptum fuerit tamquam *arbitratum*, cui nefas esset resistere, et per consequens Ecclesia solemniter resolvens obligationem juramenti inter subditos et principem dici non potest usurpasse alienam provinciam, bene vero secuta fuisse dicenda est viam veritatis et justitiæ, juxta ordinem subordinationis boni temporalis ad bonum spirituale.

19. Experientia seditionum, perturbationum, et tyrannidis, quæ omnia verificata sunt ex quo relicto iudicio Ecclesiæ, solutio quæstionum commissa fuit incerto armorum eventui, rem apprime confirmat. Quod nempe in populo christiano opportunum maxime est ut si minores quæstiones resolvantur quoad qualitatem moralem a iudicio Ecclesiæ, eo fortius quæstiones maximi momenti, ex quibus dependet tranquillitas Reipublicæ, ejusdem Ecclesiæ iudicio committantur. Cum enim Ecclesia iudicare possit ex munere suo de qualitate morali actionum, potest certe decernere de virtute et extensione moralis obligationis inter fideles. Igitur Doctores istius sententiæ concludunt, Ecclesiam, quæ est iudex moralitatis, posse jure suo proprio et nativo de existentia vel cessatione obligationis dependentiæ et subjectionis subditorum erga principem decernere.

20. Secunda sententia magis respondet rationi historicæ legislationis Canonice, et proinde videtur etiam præferenda, saltem ad defendendam a quacumque labe usurpationis Romanorum Pontificum agendi rationem.

Sententia ista ita se habet. Ex bene intellecto ordine subordinationis finis reipublicæ socialis erga Ecclesiam omnium fidelium matrem et tutricem, necnon ex conditione rerum politica et religiosa in jure publico mediæ ætatis inductum est ut Ecclesia esset vindex ac custos relationum inter principes sæculares et

subditos fideles. Hinc constitutum est Sacrum Imperium. Hinc inducta etiam est et observata fideliter sacra unctio regum, seu consecratio. Summi autem principes laici in sui assumptione ad regimen publicum sub fide juramenti promittebant se curaturos, totis viribus, publicum bonum, et ad id faciendum sese obligabant coram Deo et Ecclesia. Pariter subditi christiani obstringebantur obligationibus erga principes, quos sciebant ex facta promissione futuros esse patres communes.

Quapropter inspecta conditione politica societatis illius temporis, censebatur inter principem et subditos quodammodo intercedere pactum, quo mutux relationes, mutua jura, mutux obligationes inter subditos christianos et principem christianum sanciebantur. Quoniam vero Religio erat, quæ principaliter, ut dici potest, pro illo tempore moderabatur hoc tanti momenti negotium, naturaliter Ecclesia erat, quæ habebatur uti custos et vindex pacti hujusmodi.

21. Hinc Ecclesia principes quos nomine Dei regere populos dicebat, protegebat contra populos ipsos, qui voluissent lædere jura ipsorum principum, i. e. protegebat principes contra effrenatam licentiam subditorum. Quod si autem princeps bonum publicum non curaret, et eo fortius si hæreticus fieret, vel contra Ecclesiam auderet insurgere, Ecclesia ipsa totis viribus adnitebatur ut principem ad bonam frugem reduceret, et ad officium suum revocaret. Hinc primum Ecclesia adhibebat admonitiones, præ oculis principum objiciendo datam fidem in sui assumptione, adhortationes etiam vehementissimas adhibebat, et tandem declarabat principem indignum esse diademate christiano, et ob fractam fidem, subditos non amplius teneri vinculo subjectionis et obedientia erga principem indignum.

22. Pariter in jure publico mediæ ætatis inductum est ut Romanus Pontifex esset iudex in quæstionibus internationalibus, inter principem et principem christianum, quos Ecclesia uti filios habebat. Quare si unus ex contenditibus Ecclesiæ iudicio non stetisset, uti rebellis habebatur et juxta gravitatem causæ Ecclesia contra ipsum sententiam dicebat, et tandem etiam solvebat subditos ab obligatione subjectionis et dependentiæ erga ipsum.*)

*) De jure Pontificis in ethnarchia christiana, vide cit. op. Cavagnis, lib. III. art. ultimo.